

78 N 14 [127]

SPIRITUM SANCTUM,
UTI CUNCTIS FIDELIBUS,
ITA EPHESENS QUOQUE COGNITUM,
OCCASIONE ACT. XIX. 2.
SACRO SANCTO
PENTECOSTES FESTO,

PIE VENERATUR
ET INSIMUL

ORATIONEM SOLEMNEM

IPSA FERIA PRIMA

H. L. Q. C.

HABENDAM

DECENTER INTIMAT

JOH. DAVID SCHIEFERDECKERUS,
SS. THEOL. D. & PROF. PUBL.



Kapitel 78 N 14 [127]

X 3165 197 Av



Uemadmodum summum atque tremendum illud SS. Trinitatis Mysterium non solum novi, sed etiam veteris Testamenti temporibus, diuinitus reuelatum mortalibus sufficienter ac salutariter innotuisse, ipsum veritatis verbum testis omni exceptione major est: ita Spiritus Sancti, utpotè tertiæ diuinitatis personæ, & essentiam, & personalem à Patre ac Filio distinctionem, ejusdemque officium & dona, cunctis cujusvis ævi fidelibus incognita haud fuisse, nemo, nisi ἀγγαφα & ἀντίγγαφα pro immota veritate venditans, facile negabit. Spiritum S. enim non creaturam, nec Angelum, nec donum aliquod finitum, quicquid Mohammedani, Sociniani, alique Hæreticorum, ogganniant, sed creatorem Deumque æternum esse, innumera fermè Scripturæ utriusque Testamenti evincunt testimonia. Hinc Elihu omnipotentem sui deprecatur factorem: רוח אל עשתכר ונשמת שדך תחוני *Spiritus Dei fecit me, Job. XXXIII. 4.* Eundem universi hujus creatorem celebrat David: כבדו יהוה שמים נעשו וברוח פיו כל צבאות & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum, Psalm. XXXIII. 6. Imo rerum sacrarum scriptor antiquissimus, Moses, creationem mundi describens ita inter alia fatetur: ורוח אלהים מרחפת על פני המים & spiritus Domini ferebatur super facie aquarum, eas scilicet virtute divina fovendo & quasi imprægnando, Gen. I. 2. ubi רוח אלהים Targumim varie expriment, ONKELOS enim per רוח מן קדם יהוה spiritum à coram seu à facie Domini; JONATHAN per רוח רחמן מן קדם יהוה spiritum miserationum seu gratiarum à facie Domini, reddit, cui Targum HIEROSOL. ad stipulatur, itidem רוח רחמן מן קדם יהוה spiritum miserationum à facie Domini, intelligens. Sic & Interpres SAMARITANUS æque ac SYRUS Textum Sacrum h. l. pressè sunt secuti. Ille enim & spiritus Dei persflans super faciem aqua, habet; hic verò & spiritus Dei &c. ponit, ac proinde de Spiritu S. inibi sermonem esse, omnes fermè μεταφρασταὶ consentiunt, nisi SAMARITANAM ventum potius intellexisse velis, quod & ARABICA facit, quam hujusmodi deprehendimus: وحي الاله تهب عاي وحي الاله & venti Dei flabant super faciem aquæ; cum tamen tunc temporis nullum aërem, adeoque nec ventum extitisse, constet. Ille itaque, de quo Moses loquitur, nullus

nullus alius fuisse potest, quam רוח יהוה *spiritus Domini*, à Patre
 Filioque procedens, qui locutus est per Davidem, 2. *Sam. XXIII*, 2.
 רוח יהוה *spiritus Domini Dei*, quem SYR. quoq; روح الرب
spiritum Domini Dei, ARABS روح الرب *spiritum Domini*, Targum
 JONATHAN רוח יהוה אלהים *spiritum Domini* à
facie Domini Dei, vocat, & quo repletum se Messias per Prophetam
 testatur, *Jesa. LXI*. 1. τὸ πνεῦμα τῷ θεῷ *spiritus Dei*, *Matth. III*. 16. *Rom.*
VIII. 14. τὸ ἅγιον πνεῦμα, *Spiritus Sanctus*, qui cum Patre & Filio ve-
 rus & unus Deus est, 1. *Joh. V*. 7. hinc & τῷ πνεύματι ἁγίῳ φερόμενοι ἐλά-
 λησαν οἱ ἅγιοι θεῷ ἄνθρωποι, à Spiritu sancto acti, locuti sunt sancti Dei ho-
 mines, 2. *Petr. I*. 21. Quæ cum ita sint, non immerito nos subire
 posset miratio, cur *Actor. XIX*. 2. Ephesi fideles Spiritum Sanctum
 incognitum sibi dixerint aliquando. Ita namque Paulo scisci-
 tantur: εἰ πνεῦμα ἄγιον ἐλάβετε πιστεύσαντες; num Spiritum S. accepistis, postea-
 quam credidistis? respondent: ἀλλ' οὐδὲ εἰ πνεῦμα ἄγιόν ἐστιν ἠκούσαμεν, imò,
 sit ne Spiritus S. ne audivimus quidem; LUTH. Wir haben auch nie
 gehöret, ob ein Heiliger Geist sey. Consentiant cum textu authenti-
 co paraphrases plurimæ, ut SYRIACA Edit. *nitidiss. Gubvirianæ*:
ܐܝܢܐ ܘܢܐܢ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ imò non, si sit Spiritus, (Angl. habet:
ܐܝܢܐ ܘܢܐܢ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ *spiritus sanctitatis*,) *auditum nobis est*; ARABIC. Angl.
ܐܝܢܐ ܘܢܐܢ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ imò nec audivimus, quod Spiritus S. existat;
 TURCICA. *Oxon.* ܐܝܢܐ ܘܢܐܢ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ *nos autem nihil audivimus, si Spiritus S. existens sit.* ÆTHIOPICA
 tandem translatio non malè reddit: ܐܝܢܐ ܘܢܐܢ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ *et dixerunt ei, audivimus tantum quod fuit vel sit*
Spiritus Sanctus. Impossibile enim erat, doctrina veræ ac
 salvificæ fidei imbutos, imò tot tantisque de Spiritu S. testimo-
 niis convictos, τὸ *an sit?* ignorasse. Adhæc à Johanne, qui ipsum
 visibili specie circa baptismum Christi viderat, *Matth. III*. 16. ba-
 ptizati erant, ipsis ad ulteriorem Pauli ἑτήρησεν fatentibus, prout è
loc. cit. claret. Notandum proinde, uti nec Paulo interroganti,
 ita nec respondentibus fidelibus, de divinitate, Persona & officio
 Spiritus S. sed de miraculosa effusione, h. e. singularibus & admir-
 andis effectis seu donis ejusdem, quæ post Christi in cælos ascen-
 sionem Ecclesiæ conferebantur, hic sermonem esse. Unde, ex
 mente Cl. HEINSII, quem nostrates Theologi adunum fermè
 omnes sequuntur, sensus hujus responsi emergit talismodi: imò
scilicet Spiritus S. scil. ܐܝܢܐ ܘܢܐܢ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ vel ܐܝܢܐ ܘܢܐܢ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ ܐܝܢܐ *illapsus vel datus, ne audivimus*
quidem; id quod tam antecedentia, quàm consequentia textus,
 suppeditant. Nec enim V. paniter ac N. T. scriptoribus adedò in-
 frequens

frequens est ejusmodi Ellipsis. Sic i. *Sam. III. 7. Samuel nondum norat Dominum, sc. loquentem.* Nam quis Samuelem Dominum nondum nosse putaret, cum tamen v. i. *ministrans Domino* dicatur? Porro *Job. VII. 4. 2. quod ex semine David sc. nasciturus sit;* & paulo post: *ubi erat David sc. natus;* imò v. 39. *ejusd. Cap. dicitur: nondum enim aderat Spiritus S. scil. ratione mirande effusionis,* (aderat quippe jam ab æterno,) hinc additur ab Evangelista, *Jesum nondum fuisse glorificatum.* Conf. *POLI SYNOPS. Critic. CALOVII, RAUPII, OLEARII, aliorumque Comment. h. l.* Nulli ergò dubitamus, fidelibus hisce, de quibus hæctenus diximus, Spiritum S. satis superque cognitum fuisse, sed iis postea demum id ipsum, de quo Paulus quæsierat, accidisse, ceu è *vers. 6.* apparet. A Christo nimirum salvatore suis *Job. XIV. 26. promissus* ὁ ὑπόσπυγες, τὸ πνεῦμα ἄγιον, RABB. רוח הקודש SYR. روح القدس PERS. فرقايط جان باک *paracletus Spiritus S. seu ut ARABS explicat: روح التمسك المعزى Spiritus S. consolator, eadem in iis operatus est, quæ hoc ipso Pentecostes Festo in Apostolis, Act. II. 4. seqq. effecerat.* Atque de insigni hocce, quod inter cætera quam maxime eminet, Spiritus S. dono *Lingvarum, crastinà eò die luce, in Æde sacra H. L. Q. C. Juvenis, tam pietate quam bonis moribus ac studiis pereximius ac præstantissimus, Dn. SAMUEL CHRISTIANUS THOMÆ, Philos. item ac ἀριστολογικωτάτων & SS. Theol. Stud. indefessus, optimi ejusdemque cum ipso nominis Parentis, Pastoris Billigheimensium aliorumque in Palat. Præfectura Germersheimensi Evangelicorum, ut post annorum 125. intervallum primi, ita meritis sui & fidelis sui, optime spei filius, plura, eaque Idiomate Latino, Hebraico, Græco, Chaldaico, Samaritano, Persico, Syriaco, Coptico, Æthiopico, Turcico, Gallico, ac deniq; Arabico, disseret, Deo O. M. pro tot tantisque Spiritus S. beneficiis publico nomine debitas persolutorum grates. Cui solenni ac festiva Orationi ut Illustris Augustei Patroni, Proceres, Fautores atque Cives, gratiosè, honorificè ac frequenter intersint, quâ par est, observantiâ & humanitate expectimus, optamus, speramus.* P. P. *pridie Cal. Jun. MDCCC XXI.*

LEUCOPETRÆ,

Literis G. A. Legii, Aul. & Auguff. Typogr.

78 N 14 [127]



TUM SANCTUM,
 CUNCTIS FIDELIBUS,
 PHESIIS QUOQUE COGNITUM,
 OCCASIONE ACT. XIX.2.
 CRO SANCTO
 NTECO.
 ES FESTO,
 PIE VENERATUR
 ET INSIMUL
 ONEM SOLENNEM
 PSA FERIA PRIMA
 H.L.Q.C.
 HABENDAM
 DECENTER INTIMAT
 D SCHIEFERDECKERUS,
 THEOL. D. & PROF. PUBL.



Kapsel 78N 14 [127]
 X3165197 AV